

„cui subiecta sunt omnia“. Declarat hoc Scriptura exemplis quibusdam, dum bonorum Angelorum coetibus Satanam immixtum esse refert, et in quodam de futuris consilium, et colloquium admissum; velut cap. 1. Iob., et Regum libro iii. Ac de eo quidem, quod in priore loco scriptum est, adfuisse Satanam inter filios Dei, id est, Angelos, qui adsistebant coram Domino, S. Gregorius existimat, nihil aliud significari, nisi perinde Satanam, ut et reliquos omnes, Dei non latuisse conspectum. Haec sunt eius verba (24): „ita erit, go etiam inter Angelos in conspectu Domini Satan adfuit, quia vis diuina, quae intuendo penetrat omnia, non se videntem immunem dum spiritum vidit. Quia enim et ipsa quae Deum fugiunt, latere non possunt, dum cuncta nuda sunt superno conspectui, Satan adfuit absens praesenti.“

Insuper: solent interdum et futurorum notitiae fidem ex eo captare daemones, quod ea quae procul fiunt, ut iam iam imminere certo sciunt, alio in loco sitis aperiunt. „Tamquam si quisquam (air Augustinus) (25), de vertice montis aliquem longe videat venientem, et proxime in campo habitantibus ante nuntiet“. Etenim „omnis spiritus ales est; ut Tertullianus scribit (26), hoc Angeli et daemones“. Igitur momento ubique sunt. Totus orbis locus illis unus est, quid ubi geratur, tam facile sciunt, quam enuntiant, velocitas diuina creditur, quia substantia ignoratur. Sic et Auctores interdum videri volunt eorum quae annuntiant.

Ad haec: vt Augustinus adnotat (27) „aliquando idem nefandi spiritus, etiam quae ipsi facturi sunt, velut diuinando praedicunt“, quemadmodum et accepta diuinitus potestate, „laedunt primo, deinceps remedia praecipiunt ad miraculum noua, siue contraria; post quae desinunt laedere, et curasse creduntur“.

Postremo: si nihil satis liquido compertum, et exploratum habent, responsum ambiguitate fucum faciunt, ac ea dicunt, quae in vtramque partem congruunt, ut quemcumque res exitum sortita sit, cum praeclisis videantur. „Fallunt autem (verba sunt Augustini) (28) etiam studio fallendi, et inuidia voluntate, qua hominem minime laetantur. Sed ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittant, id agunt ut interpretibus suis, signorumque suo-

rum

(24) Lib. ii. Moraliū, cap. 3.

(27) Lib. ii. de Genes. ad litter.

(25) Lib. iv. de Trinit. cap. 17.

cap. 17.

(26) Apolog. cap. xxii.

(28) Lib. de diuin. daem. cap. 6.

„rum conectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti“. At de his hactenus.

## CAP VT XII.

*Argumenta soluit quae contra veritates stabilitas pugnant.*

Quoniam vero quae aduersus primam propositionem obiciantur, et nullius ponderis sunt, et ex adductis facilissime queunt dilui; sed ea animum vertimus, quae secundam propositionem oppugnant. Ac primo quidem, haec momenta sunt, quies Angelos cordium secreta cognoscere, nituntur suadere aduersarii. Primum: ex Scripturis habetur, Diabolus, sive Satanas in cor hominis introire, ibique latentes cogitationes scrutari: legitur enim Ioann. xiii: *Post buccellam intravit in eum Satanas;* et: *cum Diabolus misisset in cor. In Act. etiam Apost. cap. v. Anania;* cur tentauit Satanas cor tuum?

Secundum: Patrum auctoritas pro hac ipse sententia videtur stare. Scribit siquidem Gregorius in moralibus (1), quod in beatitudine resurgentium „vnuquisque tunc exie conspicibilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicibilis sibi“. Quod in Angelis potissimum locum habere fatendum est, qui seipso vident perfectissime. Basilus autem (2) puellas horratur, ut Angelorum praesentiam revercantur, quoniam spiritus quidquid virgo cogitat, animoque tracteat, percipit.

Tertium: Angeli siue boni, siue mali quum animae essentiam comprehendant, omnes illius modificationes vident; nempe idea comprehensionis includit et substantiae cognitionem, et omnium etiam illius modorum, quin sit cognitio omnium perfectissima.

Quartum: homines sagacitatem ac prudentiam praediti aliorum cogitata cognoscunt: ait enim Scriptura Proverb. xxii. „Corda hominum manifesta sunt prudentibus“. Quidni ergo potiori iure eadem Angeli conspicere poterunt?

Quintum: quae in hominis sunt phantasia absurdio Angeli percipiunt: et ea ergo quae in ipsis mente includuntur. His argumentis pugnant probatur, cognoscere Angelos cordis cogitationes.

Ad probandum autem, et Angelos futura omnino libera, et fortuita praevide, haec adducunt. Primum: cognoscere huiusmodi fu-

tu-

(1) Lib. xviii. cap. 27. (2) Lib. de vera Virginit.

tura non superexcedit animae facultatem. Docent enim Gregorius (3), et Augustinus (4), conuenire animae , secundum quod a sensibus abstrahitur, vt futura praeuideat. Atque Gregorius ipse huius opinionis confirmationem petit ex facto Legisperiti cuiusdam , qui tametsi sepulturas locum haberet in Templo Transiberino , morti proximus praenuntiavit, se mandandum sepulturae fore apud Sanctum Xistum : quod si de anima hominis valet argumentum, validius de Angelis a corporibus denudatis illud virgeat necesse est.

Secundum : Angeli nedum boni, sed et mali, futura plurima cu-  
isque generis saepe saepius praenuntiarunt.

Tertium : admissa corum sententia , qui futura omnia in coelis  
descripta esse opinantur, Angelos illa ibidem conspicere nullus inficiabitur : at habet sententia illa Patronos nobilissimos, Origenem (5), Sixtum Senensem (6), Eusebium (7) : traditur insuper illa in libro inscripto : *Narratio Joseph*, magnae apud anticos auctoritatis.

Quartum : quoniam Angeli praeterita et praesentia certo sciunt ? Et futura ergo sciant opus est : sunt enim praesens , praeteritum, et futurum temporis differentiae : Angeli autem mens supra tempus quocumque est , quoniam eius substantia et actio tempore non mensurentur , sed aeterno , quod infra aeternitatem quidem est , tempori tamen multum praecellit.

Quintum : sicut tempore , ita et loco distare quidpiam dicitur; quemadmodum ergo Angelus loco dissita percipit ; et tempore di-  
stantia, sive praeterita , sive praesentia , sive futura illa sint , per-  
cipere poterit.

Postremum : Angeli custodiendis hominibus a Deo praepositi , iis  
consultunt , curantque , quae eorum sunt : oportet ergo praesciant  
quae nobis sunt eventura ; nam cuius est alteri prouidere , eorum  
quae ad ipsum pertinent praescientiam habeat necesse est ; alioquin  
non possit munus suum implere. Haec obliciunt.

Omnia tamen , etsi speciei plurimum praefrancit; roboris parum,  
vel nihil habent ad veritates firmatas infringendas. Ergo ordine ser-  
uato solvenda sunt. Atque ab his quae primam propositionem infrin-  
mare videntur , initium capientes , sic ad primum ex Augustino re-

spon-

(3) Lib. iv. Dialogorum , cap. 12.

(4) Lib. xii. de Genes. ad litter.  
cap. 13.

(5) Supr. illud Gen.: *Fiant luminaria*.

(6) Lib. v. Biblioth. Annor. 15.  
(7) In iv. Praepar. Euang. cap. 9.

spondemus (8) : « missio ista spiritualis suggestio est , neque fit per  
» aurem , sed per cogitationem , ac per hoc non corporaliter , sed  
» spiritualiter. Sed quomodo fiat , vt diabolicae suggestiones immi-  
» tantur , et humanis cogitationibus misceantur , vt eas tamquam suas  
» depuler homo , & vnde scit homo ? Nihil ergo aliud adducta Scris-  
pture testimonia exhibent , quam malorum Angelorum suggestiones;  
ac perpera de alienarum cogitationum perceptione exponuntur. Quo-  
modo vero suggestiones huiusmodi fiant , difficile est definire , vt Au-  
gustinus docet; sed iudicamus , extra probabilitatis terminos non esse  
quod dicitur , eas nimis fieri sensum adfectione , motuque spiri-  
tu animalium.

Secundum soluitur Patrum sententias exponendo. Iraque Grego-  
rius in ea est sententia , vt doceat , in resurrectione posse vnum al-  
terius cogitationes perspicere , si ei manifestentur : neque impedimen-  
to esse corporis opacitatem; nam hoc erit perspicuum , lucidum,  
ac gloriae splendore exornatum. Verum haec minime valere modo de  
cordis cogitationibus & quis non videt ? In resurgentium beatitudine  
procul erit quolibet impedimento ; quum et omnes caritatis vin-  
culo coniuncti sint futuri , et inuicem secreta communicatur : libera  
autem cordium cogitata , vel libere etiam occultantur , vel nihil  
ad perfectam societatem facit ea pandere. Sed et verba adlata in Mo-  
nitalibus Gregorii non legi , sunt qui dicant : falluntur tamen.

Basilus autem hortatorio stylo loquutus est , sancte quoque et  
pie, prout facere illi visum est ad Virginitatis ideam exprimendam:  
ergo limitatione accipendum venit quidquid in illius occurrit senten-  
tia ; maxime ex eo quod signis foras erumpant affectus.

Tertium ut soluat , fatemur equidem , Angelos animae essen-  
tiam comprehendentes; fatemur quoque , ideam comprehensionis omni-  
um substantiarum modificationem includere cognitionem. & Quartum ta-  
men ? Necessariarum : (sic enim loquuntur ) non ira eorum , quae li-  
berae dicuntur , cuiusmodi cordi secreta audiunt. Nempe quoniam haec  
non sequantur necessario ex angelica mente , sicut nec ex humana ; re-  
cete mens ipsa comprehendi dicitur , in quantum comprehensibilis est,  
quoniam liberas illas cogitationes non cognoscat.

Neque responsionem hanc iusfringit , quod mentis cogitationes  
sint quid intelligibile , proportionatumque cum intellectu Angelorum

Tom. II.

K

fa-

(8) Tract. iv. in Ioann.

facultate ; quod' etiam actu in anima cogitante sint , quae cum Angelo praesens sit , praesentes et illi facit liberas suas cogitationes . Etenim verum illud nequaquam est , liberas nempe cogitationes proportionem cum mente angelica habere , vt ex dictis late patet : sed nec verum est , praesentes illas fieri Angelorum intellectui , ex quo praesens illi anima sit : nam nec necessariam habent illae cum anima connexionem , neque anima eas Angelo manifestare vult ; vt falso supponitur .

In quanto soluendo nihil opus erat nisi Augustini verba transcribere . Ait enim ille (9) : „Angeli omnium dispositiones non solum voce prolatas , verum etiam cogitatione conceperas , cum signa „quaedam ex animo exprimuntur in corpore , tota facilitate perdis- „scunt .“ Etenim manifestum ex his relinquitur , quod qua ratione homines sagacitate et prudentia praediti allorum cogitata intropiciunt , quea exterioribus indicis , vultu nempe , oculis , fronte , nubibusque se produnt ; sic et Angeli . Id quod lubentissime fatemur . Ceterum quae nullum exhibent externum signum , nec Angeli , nec homines , sagacissimi licer , internoscere queunt . Quoniam vero sunt qui reponant , minime isthac cohaerere cum iis , quae in libris Retractationum scribit (10) , paullo adcuratus res erit discutienda . Itaque haud negabimus , quae ibi Augustinus profert , anticipitem cum prodere . Sed anceps ille in eo tantum est , percipiante Angeli cogitata huiusmodi virtute sensibili , an spirituali : neutiquam illud rei- ciens quod anteas scriperat , cognoscere scilicet illos cogitationes , quae signis se produnt . Atque in hoc laudandus vel maxime Augustinus est , quod fateatur : „rem dixi occultissimum audaciore adseveracione , quam debui“ , et quum ipse diu dubitaverit , an daemones subtilia quaedam habeant corpora , quae , sicut humana , allorum corporum impressionibus mouentur ; et obscurissima quoque du- batio sit , an in adsumptis sensuum officia valeant exercere .

Ad quintum responsio ante oculos est ex his quae diximus . Nam phantasiam non esse sciuntam a nervorum motione , quae por totum corpus fit , ex eo liquet , quod ipsius vi quaedam fiunt impressiones in utero mulierum praegnantium ad foetus membra dilabentes , adeo ut maculae , notaque variae in his multoties adparcent . Ergo quae in hominis phantasia versantur motione , agitacio- ne , ac impressionibus dignoscuntur : non sic quae menti obuersan- tur ,

(9) Lib. de diuin. daem. cap. 5. (10) Lib. II. cap. 30.

tur , ob superius dicta . Hoc ordine soluta sunto quae primam pro- positionem oppugnabant .

Nec maioris negotii erit illa etiam soluere , quae contra poste- riorem militant . Ergo ad primum dicendum : Patres id vnum tantum affirmare , animam a corporis vinculis liberam , et a sensibus abstra- catam , quamdam vim habere , qua corporum coelestium impressio- nem percipiat , quam corpori et sensibus immersa non nisi difficil- lime agnosceret poterat , ac imperfectissime : ex qua deinde conjectu- rali experientia futura solet praenuntiare . Gregorii autem exemplum hoc solum euincit , potuisse hominem illum coniicere ex aëris adfec- tione pluviam imminere , quae eiusdem corpus apud Transtiberinos deferrit impedit .

Secundum soluit Damascenus his verbis (11) : „futura quidem , „tametsi nec Dei Angeli , nec daemones norint , vtrique tamen pras- „dicunt ; sed dispati modo . Angeli enim futuros euentus non ali- „ter praedicunt , quam , Deo ipsis quae futura sunt detegente , quo „fit , vt ea omnia eueniant , quae ab ipsis praedicuntur ; Daemones „autem ipsi quoque praedicunt , interdum videlicet , quia ea quae „procul geruntur , cernunt : interdum sola conjectura ducti ; ex quo „etiam efficitur , vt plerunque mentiantur .“ Haec Damascenus ; qui- bus nihil est quod superaddi possit .

Tertiil solutio haec est : non omnia futura per coelestia corpo- ra significari , sed ea dumtaxat quorum euentus necessarii sunt , at- que certa , constante caussarum determinatione fiunt , quae vero rarius eueniunt , ac fortuita omnino sunt , non nisi coniicendo , pro- babiliter interdum , alias falso ex corporibus coelestibus praenuntiari valent . Falsam proinde Origenis interpretationem iudicamus , quin ei pondus addat aliorum usurpatio : librum autem in argumento citatum apocryphum ex Athanasio discimus . Sed de hoc argumento se- lectissime Perautius (12) .

Quartum sic solutio : sit Angelus supra tempus ; nec tempo- re mensuretur ille : at in mente Angeli successio vere ponenda est ; quum non omnia simul ille intelligat , ac velit . Hacc autem succes- sio facit , ne ei praesentia sint quae per totum tempus aguntur .

Ad quintum respondendum : quae loco determinata sunt , iam actu existunt , participantque naturam aliquam , seu in certa ac de-

(11) Lib. II. de Fide orthodox. cap. 3. (12) Lib. I. de Ang. cap. 10.

terminata natura sebsunt, cuius est in mente Angeli similitudo, per quam cognosci, tametsi dissita, possunt. Futurum vero quum nondum sit; nec naturam speciei participat, cuius similitudinem Angelus in se habet: vnde ab eo cognosci non potest. Nam ut habet tutissima S. Thomae doctrina, Angelus non intelligit singularia dum acta sunt per species de nouo adquisitas, sed per eas quas prius habebat, per quas tamen ea, quae futura erant, non nouerat, quoniam cognitionis omnis quadam cognoscens, et cogniti adsimilazione perficitur: quae autem in Angeli mente sunt formae, seu rerum similitudines specierum naturas representant, per quas tamen et singularia nosse Angelus potest: verum, dumtaxat quatenus naturam specierum participant, quod non est, antequam acta sint: vnde statim atque acta existunt, ab Angelo cognoscuntur.

Postremum et illud quoque leuissimum est: neque enim firmo aliquo momento probari potest, vt qui aliquibus prouiderit, eorumque curam sustinet, futuros eventus mente percipiat: sat quem hoc sit, vt praevideat quid possit contingere, quo opportuna remedia adhibeat, vel ad caendum, vel ad iuuandum. Non ergo nisi inaniter nimis ex Angelorum supra homines cura, et procuratione concluditur, debere Angelos eventuum futurorum esse praescios.

### COROLLARIA

*Circa  
a. 6.*

Qua vero auctoritatis et rationis firmitudine posuimus cordium cogitata Angelis incompta esse, ponamus et illud sequitur, eos nempe, naturae propriae viribus gratiae mysteria adtingere non posse. Nam quemadmodum illa a sola cogitationis voluntate, quae sua arcana claudit, pendent; et ista a sola Dei voluntate pendere exploratum est. Ceterum: vt fiunt Angelis cordis alieni arcana peruria, atque perspecta, mox vt qui ea claudit, reserat, atque patefacit; ita Angelis beatis Deum clare videntibus gratiae mysteria patere fatendum est. Etenim quum plura huiusmodi Prophetis diuinitus patefacta sciamus; multo excellentius cum Angelis factum dicere tenemur. Ut enim decuit sapientiam diuinam, Angelos, quorum est praestantior natura, perfectiore rerum naturalium cognitione donare, quam homines; ita eandem concedet, rerum, quae supra naturam sunt, quasque non semel hominibus viatoribus manifestauit, ampliorem cognitionem in beatos Angelos deriuare. Non tamen omnium; ne di-

ui-

uinae voluntatis, ac sapientiae comprehensionem adstruere nos videamus; quod nedum rectae rationi, sed et fidei aduersatur.

At non solum Angelii beati omnia gratiae mysteria non adtingunt, sed nec omnes aequaliter, sed secundum quod eis Deus reuelare voluerit, vt loquitur S. Thomas (13): ita scilicet, vt superiores plura et altiora in Verbo videant, quorum cognitionem ad inferiores, eos illuminando, deriuant.

De iisdem autem Angelis viatoribus dubium exoritur, an scilicet, reuelatum ipsis fuerit Incarnationis Mysterium. Contendunt nonnulli, neque quoad substantiam, nec quoad particulares circumstantias nouisse illos hoc mysterium: quum enim, inquit, beatitudinem non essent ex Christi meritis consequentur, nihil opus erat Verbi Incarnationem edocerentur.

At S. Thomae sententia est, mysterium huiusmodi Angelis imperfecte fuisse reuelatum: sic enim scribit (14): «mysterium regni »Dei, quod est impletum per Christum, omnes quidem Angelii a »principio aliquo modo cognoverunt, sed maxime eo quo beatifica- »ti sunt visione Verbi, quam daemones numquam habuerunt». Quod perfectius ipsis fuisse reuelatum beatitudinis initio, et secundum substantiam, et secundum plures etiam particulares circumstantias, idem S. Doctor docet, vbi ait (15): «ad primum ergo dicendum, quod »de Mysterio Incarnationis duplicitate contingit loqui. Vno modo in »generali; et sic omnibus reuelatum est a principio sue beatitudinis. »Alio modo possumus loqui de Mysterio Incarnationis quantum ad »speciales conditiones; et sic non omnes Angelii a principio de omnibus sunt edocri, immo quidam, etiam superiores Angelii, postmo- »dum didicерunt».

*Concessio-  
nem hoc  
cum eo  
pag. 93. +*

Quid autem post hominis lapsum? Cognouisse statim Angelos omnes Incarnati Verbi Mysterium quoad alias particulares circumstantias, nempe, quod per Christum ex stirpe Adami nasciturum homo lapsus erat redimendus, ac diabolus superandus, ex. gr., Theologii post S. Thomam adserunt: nam, inquit, haec ad serpentem verba Genes. iii: «inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum»: verba Angeli Dei

no-

(13) Prima Parte, quæst. LVII. artic. 5. in corp.

(14) Prima Parte, quæst. LXIV.

artic. 1. ad 4.  
(15) Prima Parte, quæst. LVII. artic. 5. ad 1.

nomine loquentis sunt: Angelum vero sensus verborum ab ipso prolatorum non fugiebat.

Adserunt praeterea, temporis processu, post Christum natum, plures alias eiusdem Mysterii circumstantias cognouisse, aut Deo plenius renelante, aut per Apostolos in Ecclesia praedicantes: scribit siquidem Paulus ad Ephesios iii.: „Mihī omnīū Apostolōrum minīmo data est grātia hāc, in gentib⁹ euangelizare īvestigābiles diuitiā Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatiō sacramēti absconditi a saeculūs in Deo, vt innotescat principi⁹ et potestati⁹ in coelestib⁹ per Ecclesiā multiformis sapientia Dei, secundum p̄finitionē saeculorum, quam fecit in Christo“, ceterum. Quae quidem sententia catenus vera a S. Thoma iudicatur, quatenus hunc inducit sensum, vt Angeli per Apostolos praedicantes, non quidem ab eis, sed in eis talia didicerint (16). Legatur egregia S. Doctoris interpretatio.

Iam illud etiam ex praecedentibus subinferre oportet, quod scilicet, nostra de Angelorum naturali cognitione erga oculas cordium cogitationis sententia, quantumvis vera sit ac certa, ad fidem tamen illa non pertinet. Neque enim desunt Theologi grauissimi, qui et Scripturarum, et Patrum testimonia aliter exponant, vt adnotabamus superius. Quorum tamen expositiones (vt id candide fateamur quod censemus) ad eludendum praecipue Scripturae sensum aptissimas agnoscamus. Ast abundet vnuisque in suo sensu.

### CAPVT XIII.

*De Angelorum voluntate dissertat. Quam ex se mutabilem ac flexibillem esse Patrum auctoritate suadet. S. Thomae mentem declarat.*

Pollent Angeli amandi ac volendi facultate, qua se ipsos, Deum, et creaturas mente praeditas, licet diuersimode, diligunt. 17.1.49  
a.1.

Haec Angelorum facultas flexibilis naturaliter est. Nec contrarium docuit S. Thomas. 3.1.5.  
60.

Ecce primum quidem ipsorum Angelorum casus et ruina demonstrant, 3.6.1.  
nra.2

vt

(16) Lect. III. in Apost. locum.

vt Basilius scribit (1): „impiorum, inquit, et aduersariorum spirituum defectio id quod dicimus adprobat, iuris sui, ac libertatis esse inuisibilis virtutes, et aequae in virtutem, ac vitium vergere“, cert.

At ratio quoque id suadet. Nam quum insit Angelis intelligendi vis et facultas, vt fuit monstratum; et in eis sit etiam amandi, et volendi vis, necessum est: neque enim potest intellectus bonum aliquod cognoscere, quia voluntas in illud veluti quodam pondere feratur.

Atque ita ferri quidem liberum Angelorum arbitrium in se ipsos, in Deum, et creaturas aliquas hoc vno ratiocinio declaratur: fertur enim amoris pondere in obiectum aliquod, qui eidem bonum vere vult, ac peroptat: at Angelī sibi, Deo, ac creaturis mente praeditis bonum peroptant, et volunt: sibi quidem et creaturis pacem in possessione finis ultimi consistentem; Deo autem honorem summum, summanque gloriam: feruntur ergo illo amore in se ipsis, in Deum, ac creaturas mente praeditas.

Secundum vero paulo difficultius explicatur est, ab homine potissimum qui S. Thomas Scholas iam pridem nomen dedit. Opinantur siquidem Theologi fere omnes, quotquot de nomine S. Thomae nuncupantur, Angelos in sui arbitrii vsu ita obiectum aliquod eligere, vt in facra electione sint immutabiles prius, ac inflexibles, idque ex natura ipsa. Quod si nos id, quod in votis est, declarare assequimur, nempe, hanc non esse Patrum communiorē sententiam, nec illam in S. Thomas scriptis adeo solide ac firmiter stabiliter legi, quemadmodum gloriantur illi; praeferendam nostram qualcumque opinionem euincemus, velut Patribus, a quibus numquam corum vox Thomas recessit, conformiorem.

Ergo agendum agamus, et Patrum sensa perscrutemur. Augustinus est qui locum Apostoli quo Deo soli immortalitas adjudicatur, hoc sensu exponit (2): „quia, ait, est immurabilis solus. In omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio“. Et paucis interiectis: „et creaturarum natura coelestium mori potuit, quia peccare potuit. Nam et Angeli peccauerunt, et daemones facti sunt; quorum est diabolus princeps; et qui non peccauerunt, peccare potuerunt. Et culcumque creaturae rationali praestatur, „vt

(1) De Spirit. Sanct. cap. 16. (2) III. contr. Maxim. cap. 12.

„vt peccare non possit , non est hoc naturae propriæ , sed Dei  
„gratiae.“

Hunc locum etiam vberissime Fulgentius pertracrat , et inter alia haec ponit (3) : „illos quoque quos terrenorum corporum grauat nulli la luctuosa materies , id est , Angelicos spiritus , ; quis non vivit , non viuis naturae esse cum Deo , sed factos ex nihilo ; quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur , quia eiusdem naturae pars est in deterius permutata“. ? Ac quum dixisset , Angelos sanctos non posse in deterius mutari ; vnde id illi habeant his verbis exponit (4) : „sed hoc ipsum , quod ab illo statu beatitudinis , in quo sunt , mutari in deterius nullatenus possunt , non eis est naturaliter institutum ; sed postquam creati sunt , gratiae diuinæ largitate collatum . Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent , numquam de eorum consortio diabolus , et eius Angeli cedidissent“.

Fausinus item contra Arianos verbis dissertissimis eandem angelicæ voluntatis mutabilitatem demonstrat (5) : „voluntas , inquit , Dei naturaliter bona est , perfecta est , indemutabilis est , semper eadem existens , et sine fine perseverans . Voluntas vero eius , qui non est Deus , eo quod habeat initium , sicut et ipse qui non est Deus , potest et mutari , potest et verti , sicut et ipse qui non est Deus : ac per hoc non vera bona , quia non naturaliter bona , nec vere perfecta , quae potest verti , et minui ita , quod hodie voluit , crastino noluit , vt , quod hodie noluit , crastino velit . Dicam exemplo apertius : Angelus iste , qui nunc diabolus est , antequam ficeret diabolus , proprii arbitrii agitatione amissit bonam voluntatem , ideo scilicet , quia ex factura subsistit , et non naturaliter Deus est : hoc et de omni creatura rationali sentendum est . Etsi enim quidam eorum non declinauerunt , neque declinant a bona voluntate , tamen in natura habent posse declinare , quia creature sunt , et non Deus . Hoc enim quod non declinant ex disciplinae perpetua observatione obtinent , non ex naturae indemutabilis veritate“.

Gregorius Magnus simile quid statuit (6) : „natura , ait , angelica etsi contemplationi auctoris inhaerendo in statu suo immutabi-

„li-

(3) Lib. de Fide ad Petrum , cap. 3.

(4) Ibidem , cap. 23.

(5) Tom. iv. Biblioth. PP. pag. 670.

(6) Lib. v. Mor. cap. 28.

„liter permanet ; eo ipso tamen , quo creatura est , in semetipsa via cisisstitudinem murabilitatis haberet“.

Eucherius etiam id tradit scribens (7) : „qui quidem dum sunt mutabiles natura , facit tamen eos immutabiles , atque incorruptos gratia sempiterna“. Isidorus similiter tenet (8) ; vbi ait : „gratia dicimus , non natura esse incommutabiles Angelos . Nam si natura incommutabiles essent , diabolus non utique cecidisset“ . Anselmus tandem ( aliis missis ) ait (9) : „quemadmodum malus Angelus vituperandus est , quia non potest ad iustitiam redire ; ita iste laudandus est , quia non potest abiit . Sicut enim ille iam redire non potest , quia sola mala voluntate abiit , sic iste iam abiit non potest , quia sola bona voluntate permansit . Palam igitur est , quia sicut illi non posse recuperare quod deseruit , est poena peccati ; ita huic non posse deserere quod tenuit , est praemium iustitiae“.

Ex his vero SS. PP. testimoniosis , vel nullo exponente , illud euidenter sane colligitur , Angelorum omnium liberrimum esse arbitrium , natura mutabile , et flexibile : neque immutabilem natura dicendum eorum voluntatis actum , quo beati Angeli Deum diligunt , quoque daemones peccato adhaerent . Est ergo in sanctis Angelis necessitas Deum amandi , essentialis illa quidem , vt dicunt , et physica . Est et in demonibus necessitas moralis ad peccandum . At habent illud boni Angeli diuinæ gratiae munere , ac beneficio ; habent istud daemones voluntatis propriae defectu . Natura proinde liberrimi omnes in reliquis , nec tamen mereri boni possunt , nec mali demereri viltetus ; in termino siquidem illi sunt . Verum habet daemonum obstinatio , ob quam liberae potestatis arbitrio numquam usuri sunt , hanc duplicum caussam . Harum prima est , quod gratiae auxilium habere minime possint ; secunda vero acerbissima gehennæ poena , et amissas felicitatis consideratio : ex quibus tristitia , desperatio , et animi insanibilis aegritudo ortum ducunt . Beatorum autem Angelorum felicitas , ex eo prouenit , quod Deum bonum summum intuitu videant , ad cuius amorem quisque essentiam ipsam Dei vident , naturaliter est determinatus , ipso S. Thoma adtestante (10) . Turpissime itaque aberrant hic Caluinianici , ac Iansenistæ eandem omnino adserentes libertatem , licet sine indifferentia in patria , sub lumbris

(7) Lib. i. in Genesim.

(8) Lib. i. de Sum. Bono , cap. 12.

(9) Lib. de casu Diab. cap. 24.

(10) Prima Parte , quæst. lx. ar-

tic. 5. ad 5.

gloriae claritate, et sub Reparatoris gratia in via. Affirmantes etiam, male agendi necessitatem, quae in damnatis reperitur, eiusdem generis censeri cum amandi necessitate in sanctis Angelis reperta.

At dicent Theologi nobis aduersantes, confidenter nimis hoc a nobis dictum esse, Patrum scilicet indubiam mentem istam. Nam sunt ex opposito sentientes nonnulli, quibus refragari, et aliorum auctoritas, et cuidam ex eisdem data fides, nos verant. Occurrit primus Basilios (11), "qui bonos Angelos in prima sui origine, et "substantiae constitutione, dicit, insitam vna sanctitatem accepisse. "Propterea difficile ad malitiam transferri possunt; quod subinde velut "tinctura quadam, ita sanctitatem corroborati, et in virtute stabilitatem dono S. Spiritus adepti sunt".

Damascenus aliud est, qui immobiles in eo, ad quod adhaeserint, Angelos facere videtur, quum de eorum natura disputationis, dicit (12): "minime capax poenitentiae, quoniam corporis est expers. "Nam homo propter corporis imbecillitatem poenitentiam est consequatur". Expressius vero S. Thomas id ipsum docet, ex cognitionis, seu, ut ipse ait, apprehensionis angelicae conditione argumentum dicens (13): "differt enim, inquit, apprehensio Angeli ab apprehensione hominis in hoc, quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut et nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus; homo vero per rationem apprehendit mobiliter discurrendo de uno in aliud, habens viam procedendam ad utrumque oppositorum. Vnde et voluntas hominis adhaeret aliqui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, et contraria adhaerere; voluntas autem Angeli adhaeret fixe, et immobiliter. Et ideo si consideretur ante adhaesionem, potest libere adhaerere et huic, et opposito, in his scilicet, quae non naturaliter vult: sed postquam iam adhaesit, immobiliter adhaeret. Et ideo consuevit dici, quod liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum et ante electionem, et post; liberum autem arbitrium Angeli est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem, sed non post. Sic igitur et boni Angeli semper adhaerentes iustitiae sunt in illa confirmati; mali vero peccantes sunt in peccato obstinati". Haec S. Thomas.

Explicanda itaque haec testimonia sunt, vt nec istos ex Patribus

(11) In Psalm. xxxiii.  
(12) Lib. II. cap. 3.

(13) Prima Parte, quæst. xxiv. artic. 2.

bus nobis repugnare monstramus. Et Basili quidem locus ipse sese explanat. Non enim dicitur in eo, Angelos prorsus esse immobiles, sed difficile mutabiles a Dei gratia et bonitate. Idque de statu in quo modo sunt, non de eo in quo dicuntur fuisse, intelligendum esse, verbum indicat temporis praesentis, quo Basilus vtitur. Ait siquidem ille: "et ad malitiam difficile transferri possunt"; non vt perperam a Latino interprete redditur: "et ad malitiam difficile se poterant transmouere". Nam Basilius manifeste voluit, Angelos hoc ipso tempore difficile ad malitiam conuersti posse, vt eosdem, quantum in ipsorum est voluntate, et natura, etiam nunc in deteriori mutari posse, monstraret.

Quod si Basilius verba in sensum ab interprete confictum redderentur, ad illumque statum referrentur, quo nondum mali Angeli ceciderant, sed iusti omnes erant ac sancti, quasi tunc difficile quidem ad prauitatem deciscere, postea vero nullo modo id facere poluerint; quum eius difficilis mutationis caussam dicat esse Basilius, quod in sanctitate roborati sunt, ac virtutis stabilitatem acceperint, sequatur inde necesse est, ante ipsum Diaboli lapsum in virtute ac gratia bonos esse confirmatos, quod communia Theologorum placita contradicunt. Ergo Basilius etiamnum difficile ad malitiam transferri posse Angelos credit, quamvis ex sese, et absolute depravati possint.

Ioannis deinde Damasceni dictum, quo daemonem non esse capacem poenitentiae adfirmat, *quoniam corporis est expers*, non copertinet vt velit, Angelos ab eo quod elegerint, non posse natura resilire; sed vt adserat, diuina gratia, sine qua poenitentiam agere non poterant, iure fuisse destitutos; quod, vt corpore, sic excusatione imbecillitatis carerent, ob idque grauius, et intolerabilius quam homines peccassissent. Damascenus ipse sui ipsius interpres, ac vindicet est iis, quae paullo post scribit: "difficulter, ait, in malum mobiles, sed non immobiles; nunc vero et immobiles, non natura, sed gratia, et adhaesione ad id, quod solum bonum est".

At S. Thomae testimonium ad angustias vsque nos premere iudicabant non pauci. Falso tamen. Nam et nostros etiam sensus in laudari S. Thomae verbis inueniri gloriamur: tantum abest, vt Doctorem Angelicum nobis aduersantem experiamur, quod vt ex aequo declaremus, ea primum recolenda ex instituto veniunt, quae alibi ab ipso tradita sunt, vt plenius, quae obiecta sunt, solvantur. Sic ergo

Vide hic  
I. 10. a. 2.  
20 a.

go sese haber res. Consentit sane S. Thomas inflexibilem esse Angelorum naturam , aut voluntatem , Sanctorum inquam , ad malum , quoniam Dei essentiam videntes , in ipsius amorem sunt naturaliter determinati , quemadmodum ad rationem boni in communi : quare etiam post electionem flexibilis , et mutabilis eorum voluntas est , relate ad bona illa , quae quum undeque perfecta non sint , naturaliter et necessario in se totam voluntatem non rapiunt. Ita I.P. quest. LXII. artic. 8.

Consentit præterea , quod tametsi comparate ad finem ultimum immutabiles sint Angeli ac daemones ; relate tamen ad media , habent utique libertatem , et Angeli sancti diuersa possunt eligere ordine finis seruato ; Angeli vero mali se ab ordine finis diuerendo: quorum primum libertas perfectionem , secundum eiusdem defectum vocat. Ita ibidem in responsione ad tertium argumentum.

Quum ergo ea scribit , quae aduersus opinionem nostram pugnare vniuersa ferme Schola clamat , nempe , „Angelus apprehendit immobiliter , sicut et nos apprehendimus prima principia : homo apprehendit mobiliter , discurrendo de uno in aliud „, cert. : exponendum ita est , vt sibi eum non esse contrarium pateriat ; quemadmodum Iuuenitum (14) , Bertium (15) , ac alios exposuisse nouimus. Scilicet non aliud verbis illis S. Doctor docer , nisi Angelos post electionem immobiliter summo bono adhaerere , cuius vident essentiam ; adeo vt ad diligendum Deum sint naturaliter determinati ; quemadmodum hominis intellectus ad prima principia , et ipsius voluntas ad bonum in communi. Et quoniam post primum caritatis actum statim plenam beatitudinem sunt adsequuti , ideo summo bono immobiliter adhaerent. Hanc vero esse S. Thomae mentem manifestum est cuique apposite articulum secundum , quest. LXII. conferenti.

Docet quid simile de daemonibus , eos nempe adhaerere immobiliter peccato , per quod miseri in aeternum facti sunt. Quoniam et illi per primum suae voluntatis actum aeternam damnationem sunt consequiti. At non ita scribit S. Thomas de aliis obiectis , quae nec sunt finis ultimus creaturatum , nec cum illo habent connexionem : quin potius posse per liberum arbitrium diuersa eligere media , ac proinde flecti , et mutari , expressa ipsius sententia est in responsione ad tertium citati art. 8. Quae deinde optime cum eo componitur , quod vt

S.

(14) Dissert. 1. de Aug. cap. 2. con-  
clus. 3. in resp. ad arg.

(15) Lib. x. cap. 13.

S. Doctor ait , Angelus non apprehendat de uno in aliud discurrendo , sicut apprehendit homo , sed omnes omnino rationes detegendo , ob quas obiectum , aut odio haberi , aut amari debet. Nam rationes illae , etiam post factam electionem , in intellectu Angeli remanent: quo fit vt obiectum quod elegerat , deserere possit , si de eorum numero illud sit , quae nec finis ultimus sunt , nec cum eo connexione habent villam ; uti saepius dictum est. Non ergo nobis contrarius est S. Thomas.

## APPENDIX.

AG. Postquam vero de Angelorum intelligentia , et voluntate , quae dicenda erant , proximis capitibus proposuimus , de corundem loquitione , et illuminatione , quae ex ambobus illis fontibus oriuntur , nonnulla hic subinferenda sunt. Conloqui autem inter se Angelos in Scripturis non semel expressum est. Isaiae enim viii. legimus : Seraphim clamabant alter ad alterum : apud Danielem item , et Zachariam Angelorum inter se conloquia descripta habemus : Iudas quoque Apostolus in sua Canonica Michaelis cum Diabolo de corpore Mosis altercationem describit : demumque Paulus 1. ad Cor. XIII. linguam Angelis tribuit dicens : „si linguis hominum loquar , et Angelorum , caritatem autem non habeam „, cert. Quem Apostoli locum sic explicat Chrysostomus (16) : „Angelorum autem linguam hic dicit , non corpus tribuens Angelis , sed id quod dicit est huiusmodi : si ita loquar „vt Angelis constitutum est inter se loqui „, cert. Theophilactus etiam sribens (17) : „Angelis porro lingua est intellectua ; vis nimis illa , qua sibi mutuo diniarum rerum intellectum , ac diuinis cogitationes impertint „. Quibus illud intelligitur , inepite nimis , ac impudenter a Theodoro Beza dictum fuisse (18) : „plane ineptos eos esse , qui hoc loco disputante de Angelorum linguis „: vt hominem haereticum possis agnoscere . Num contempndi erunt Patres , quotquot locum Apostoli ita exponunt , ac qui linguam Angelis dissertissime tradunt , vnius Bezae expositione retenta ? Atqui id quod Chrysostomus , et Theophilactus , tradunt alii Patres. Theodoretus haec scribit (19) : „Angelorum linguas dicit , non quae sensu , sed quae intelligentia percipiuntur ; per quas et Vniuersorum Deum laudant,

9.106*i*107. *p*D. ueniens  
ancientor.

(16) Homil. xxxii.

(17) Apud Petru. de Angelis , lib. 1.

(18) In Com. ad illum Apost. locum.

(19) In cap. XIII. Epist. ad Corinth.

„dant, et inter se disserunt. Eos enim laudantes audierunt Esaias, et Ezechiel. Quin etiam Daniel eos inter se loquentes audit, et Zcharias, et Michaeas“. Basilius deinde sic loquitur, Iohannem expōnens (20): „verbum. Quodnam verbum? Humanum verbum, an Angelorum? Quippe significauit Apostolus, Angelos propriam habere linguam, ita dicens: *st linguis hominum loquar*“, cet. Sic disperant et alii; quorum sententia non ea est, ut haereticus conjectatur, ut tribuant Angelis linguam in ore sitam, dentibus septam, ac soni effrictem, sed spiritalem sermonem. In quo quidem habent et alios Patres consentientes. Etenim Augustinus haec in libris de Trinitate habet (21): „quaedam cogitationes loquitiones sunt cordis.. Foris enim quum per corpus haec fiunt, aliud est loquitor, aliud visio. Intus autem quum cogitamus, vtrumque unum est. Sicut auditio et visio duo quaedam sunt inter se distantia in sensibus corporis, in animo autem non est altius atque aliud, videre, et audiare: ac per hoc, quum loquitor foris non videatur, sed potius audiatur, loquitiones tamen interiores, hoc est, cogitationes visas dixit a Domino Sanctum Euangelium, non auditus“.

Fulgentius itidem inquit (22): „quid est cogitatio nisi interna loquitor?... Manifestum est ergo, hoc esse cogitare, quod est intra se dicere. Ibi ergo inuisibiliter cogitur. Sine strepitu ergo vocis corporeae, vniuersique quod cogitat, dicit. Quod tamen ad alterius auditum non nisi corporea loquitione perducit“. Similiter loquuntur alii ex Patribus. Ex quibus Angelorum loquitor clarissime demonstratur.

Sed ratio etiam ipsum suadet: nam Angeli, tamquam Ierusalem coelestis cives praecipui perfectam inter se societatem habent: at haec perfectio societatis necessario id exigit ut sibi inuicem loquantur illi.

Verum haec Angelorum loquitor insuper expostular, ut vnius cogitatio ad alterum dirigatur: alias quidquid Angelus cogitat, loqueretur, nec posset alteri suas cogitationes occultare; quod alibi refutabimus.

Ad modum autem, quo loquutor isthaec peragitur, quod spectat, designandum, varie opinantur Theologi. Nec mirandum, quum res

(20) In Homil. ad verba Iohannis: *I* principio erat Verbum.

(21) In Lib. xv. de Trinit. cap. 10.

(22) In Lib. cont. Scen. Fastidiosi, cap. 15.

res occulta, atque recondita sit. Nobis prae ceteris placet S. Thomae sententia, quac adserit (23), perfici loquitionem angelicam quatenus vult Angeli voluntas alteri sue mentis conceptus manifestare; atque hanc determinationem voluntatis intellectuallia signa, nobis incompta, consequuntur, eisdemque tandem cogitationes declarantur, ipso S. Thoma annuente (24), vt Thomistae nebulissimi testantur (25). Nihil autem est in Doctoris Angelici sententia quod desideretur, ut mens penitus quieteat, ac nodus plene solvatur. Hanc ratio confirmat: etenim quietescumque aliquid immediate in se est imperceptibile, nequit nisi per signa manifestari; sensibilia inquam, si creaturis corporeis manifestetur, spiritualia vero si spiritibus manifestetur: quam ergo imperceptibiles undeque sint in se immediate Angelorum cogitationes; signis spiritualibus occultis tamen, manifestari oportebit.

Quamvis autem hoc modo et superiores cum inferioribus, et hi cum illis, et omnes cum Deo loquuntur; non eadem tamen harum loquitionum ratio est: superiorum enim cum inferioribus conloquitor et illuminator simul est, non item inferiorum cum superioribus; nam superiores inferioribus, quam ipsi norunt, veritatem communicant, quodque ipsi latius, clariusque intelligunt, quodammodo concidunt, ut percipi ab inferioribus possit, „sicut apud nos Magistri, quod in summa capiunt, multipliciter distinguunt, discipuloru*m* capacitate prudenties“, vt loquitur S. Thomas. Quoties autem inferiores cum superioribus conloquuntur non eos illuminant; est enim haec posita diuinus lex, ut inferiora per superiora in Deum reducantur, et lumen veritatis a Deo ad inferiores per superiores intelligentias deriueatur, non autem contra. Sed inferiores, dicit aliquis, superioribus patet faciunt, quid ipsi cogitant, quidue velint; quod superiores lateret, nisi ipsi sponte aperient. Quid tamen inde? Num superiores propterea illuminant? Minime. Quoniam enim ad mentis perfectionem non spectet nosse quid alter velit, aut cogitet, sed dumtaxat quid rei veritas habeat, (neque enim cogitantis voluntas est lux, aut regula veritatis, sed sola veritas est lumen mentis, summa vero veritatis regula, veritas prima, seu Deus) nihilque inferiores cognoscant, quod superiores multo perfectius, clariusque non norint; hinc dum istis illi sensa, sua patet faciunt, eos quidem adloquuntur, sed nullatenus illuminant.

Iam

(23) Quæst. cvi. art. 5.

(24) In it. Distinct. ii. quæst. 2. art. 3.

(25) Canus, Chignoli, alii.

Iam vero, et posse Angelum sic cum alio loqui, vt aliis minime percipient quid cum altero conloquatur, ex dictis facile est intelligere. Vnde enim fit, vt Gabriel ex. gr. Michaelis conceptionem secum loquentis intelligat, nisi ex eo quod Michael libere suum conceptum ad illum dirigit? A sola igitur Angeli voluntate id repetendum erit, neutiquam a locali distantia, quod accidit hominibus. Ut enim haec obstat non potest, quominus Angelus alium, etsi maxime distantem, videat; ita neque obstat illa poterit quominus in Angelo maxime distante videat, quod ad se alter libere dirigit.

## CAPVT XIV.

*Quae de loco Angelorum disputari solent summatim resoluuntur. Quomodo illi corpora adsumant obiter explicatur.*

Angeli certo ac definito loco praesentes sunt, non sola substantiae ratione, sed operatione, et adlicatione virtutis: at non quomodo corpora.

**P**rimum Scripturae testantur. Etenim n. Petr. cap. 11. dicitur: Deum „Angelis peccantibus non pepercisse, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidisse cruciandos“. Et Apocalypsis xii. „Neque locus inuentus est eorum amplius in Coelo“. De bonis vero Angelis plurima hic adnumerare testimonia possemus, quae eos in coelis permanere, ad homines mitti, de loco in locum transire euincunt.

Parres id quoque firmant: Damascenus enim lib. n. de Fide (1) ait: „Angeli quando sunt in coelo, non sunt in terra, et quum in terram a Deo mituntur, non manent in coelo“. Augustinus etiam hacc habet (2): „non ergo arbitremur, in summo coelo habitare diabolum cum Angelis suis, vnde lapsum esse credimus“.

Accedit ratio: nam substantia que finita est, non ubique, sed definito loco consistat oportet: hoc siquidem diuinitatis peculiare est: Angelus ergo non ubique, sed certo loco, vel coelum ille sit, vel infernum, vel aëris, praesens sit, ipsa eius finita essentia facit.

At neque id Angelus haber solius substantiae ratione: etenim quum illa expers partium sit, neque corporeas res se ipsa tangere pos-

(1) Cap. 3. (2) Lib. de Agone Christi, cap. 3.

possit; nequit sola Angelum ad locum determinare: sed determinatur ille per contactum, operatione, et quantitate virtutis. Ea enim censenda est ratio determinationis Angeli ad locum, per quam potest etiam ab omni loco absolui, si de libero quidem loco, vt vocant, sermo sit: vt enim docet S. Thomas (3): „nihil prohibet Angelos non esse in loco, si voluerint“. At ratio eiusmodi nequit alia haberi quam operatio Angeli: neque enim est aliquid aliud praeter operationem, quod possit Angelus pro libito ponere, aut tollere: per illam igitur ad locum est determinatus. Accedit, quod operatio sola illud habet, quod Angelum possit determinare ad maiorem vel minorem locum, ad quem ipsis substantia omnino indifferens est.

Nec contra haec faciunt, quae magni quidam negoti existimants quum nihil vere illa sint. Scilicet, quod sequeretur ex opinione ista, existere Angelos absque omni loco posse; quod difficile admodum explicatu foret, quomodo Angeli sint in Coelis; qua item ratione animae Sanctorum, qui ante Christi adventum abierant, in limbo esse dicerentur: neque enim quidquam externum Angelis in Coelis operantur, aut operatae sunt animae illae in limbo detentae: tandem, quod Angelus, quum simul in pluribus locis, eisdemque distitis, et distantibus operari possit; posset et in illis simul esse.

Non inquam faciunt haec: Primum enim haud reputat inconveniens S. Thomas, scribens (4): „ad quartum dicendum, quod hoc non reputo inconveniens, quod Angelus possit esse, et non in loco, quando nullam operationem circa locum habet; nec est inconveniens vt tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur: sicut etiam non est inconveniens, quod nullo colore colorarus dicatur“. Haec D. Thomas. Quibus robur additur ex illa Patrum opinione, quae Angelos ante mundum hunc corporeum creatos vult, quo certe tempore locus pro Angelis non esset designabilis; at tamen Angelii existent.

Secundum quoque levissimum est. Angeli siquidem, quum rerum omnium corporearum administrationi sint praefecti, per operationem aliquam nonnihil et eos conferre ad Empyrei ornatum, non improbabiliter diceretur. Animae vero Sanctorum, quae quondam in limbo defiebantur, per passionem quidem tunc in loco fuere: licet enim non illae cruciarentur, sui tamen patiebantur detentionem, a Deo Tom. II.

(3) Quaest. iii. de Pot. artic. 19. (4) In I Sent. Distinct. xxxvii. q. 3. ad 1. articulo. (5) In I Sent. Distinct. xxxvii. q. 3. articulo.

nimirum. Verum maximum Angelos beatos inter et animas illas discrimen intercedit, nempe, quod Angelii in Coelis existentes, loco sibi connaturali frucentur: animae autem in loco eis violentio, aut saltem praeternaturali. Atque substantia spiritualis in loco sibi connaturali, seu in quo esse vult, per operationem constituitur; in violentio autem sue praeternaturali per passionem ortam ab aliqua causa extrinseca. Placet usurpare pro pleniore horum similiorum explicatione Augustini sententiam his verbis expressam (5): «quemadmodum haec faciant Angelii, (loquitur de miraculis) vel potius quemadmodum Deus haec faciat per Angelos suos, nec oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis enuntiare, nec proiectu mentis comprehendere, valeo, ut tam certus loquar ad omnia, que requiri de his rebus possunt, quam si essem Angelus, aut Propheta, aut Apostolus.»

Quod vero in exemplum huius argumentationis adduci solet de Asmodaeo, qui in deserto AEgypti a Raphaele adligatus dicitur Tobiae viii, mystice esse intelligendum censem Estius.

Tertium ut solutus distinctio haec prae oculis est habenda, quod scilicet locus adequatius est actio externa, quae exhaustit totam agenti virtutem in Angelo repartam; inadaequatus autem est actio, quae non exhaustit totam illius agenti virtutem. Ex qua insuper distinctione patet, Angelum naturaliter non posse esse in pluribus locis adaequatis: nam ex suppositione, quod in uno loco aliqua externa actio totam illius agenti virtutem exhaustat, nequit Angelus in alio loco operari: e contrario vero quum per unam aliquam actionem illius virtus non exhaustatur, nihil est quod impedit, quin operetur in alio loco, ac proinde quin in eo existat. Verum quum Angelii virtus finita sit, operari ubique non valer: immo nec in spatio, quod inter sphaeram illius activitatis non sit; culusmodi autem sit spatium illud ex maiori vel minori Angelii virtute pectitur, quae nonnumquam sese extendit ad domum, nonnumquam ad ciuitatem, aliquando etiam ad prouinciam et regnum. Sed haec attigisse lubet, ut verbo ea dixisse videamus, quae de consimilibus disputationibus, in inmensum usque dici possent. Qui plura desideret legat S. Thomam (6), eiusque grauissimos Commentatores.

Nos vero, Angelos per operationem in loco esse cum isdem postquam firmauimus, ad demonstrandum, non quomodo corpora, sp̄i-

(5) Lib. II. de Trinit. cap. 10.

(6) Prima Parte, quest. LII, et LIII.

spiritus in loco esse descendimus. Ergo Angelii non sunt in loco quomodo corpora, seu more corporum. Id quod Patres omnes antiqui, qui negarunt Angelos in loco esse, senire existimantur. Gregorius Nyssenus in primis vbi scribit. (7): «nemo adeo puerilis est ingenio, qui in natura intelligenti et incorporeta differentiam loci reperiri existimet. Loci enim positio propria est corporum», cet. Dydimus quoque ait (8): «loca et commutationes locorum ab incorporalibus separamus». Nemesius item Christianus philosophus animam hominis loco minime circumscribi ait, quod spiritus sit: ex quo et de Angelis idem est consequens. Scribit autem (9): «anima corporis ex pers, neque loco circumscripta, tota per totum, et lumen suum, et corpus permeat: :: Quod enim magnitudinis, molis, et partium est expers, nulla loci parte circumscribi potest. Nam cui pars nulla est, quoniam circumscribi loco potest? Cum mole enim locus existit». Similia proferunt alii.

At videntur omnes illi nihil aliud spectasse, (adnotat Petavius (10)) quam ut ab Angelis eum modum abjudicarent, quo in loco sunt corpora, quorum partes loci partibus respondent: verum nequit quoniam dubitasse illos, quin per se, seu potius per suam operationem aliqui essent. Hoc potissimum Damascenus indicat, quum ait, intelligibilia, hoc est spiritualia, esse intelligibilibus in locis. Reliqui autem circumscriptionem, commensurationemque loci detrahere voluerunt ita, ut dixerit S. Thomas, eos non esse in loco circumscripti, quia non commensurantur loco. Sed non inficiantur illi, hoc quod est in loco ita esse, ut non sit alibi, quod in Scholis sic passim explicant, ut diffinitive in loco esse dicant.

Atque de loco Angelorum haec sint dicta. Eos vero, sicut esse in loco, et corpora nonnumquam adsumere exploratum est ex variis formis, quibus hominibus adparuerunt, quasque notae nimis, ac vulgatae adparitiones testantur. Hae vero imaginationi perperam tribuerentur, quum et tactu saepius corpora huiusmodi deprehensa sint, et a nulla etsi potentissima imaginatione fieri illa possint, quae ab Angelis efficiuntur, quando hominibus adparant, ac res occultissimas manifestant. Haec itaque corpora ab Angelis adsumpta aerea potissimum sunt, et ex vaporibus, et exhalationibus compacta, quae diuersa possunt visui sese monstrare, ac sunt reapse, quod habeant

(7) In Lib. I. cont. Eunom.

(8) In Lib. I. de Spir. Sanco.

(9) Lib. de nat. hom. cap. 3.

(10) Lib. I. de Ang. cap. 13. n. 9.

extensionem quandam , et variis sint donata figuris : hinc fit ut videantur velut corpora ipsa hominum , vel ferarum. Hinc pariter plurima delusionum genera , quibus Daemones , ac si monstra essent , aut volucres , aut formosae etiam adolescentulac , multoties se conspiciendos dedere.

## CAPVT XV.

*De bonorum Angelorum merito et praemio agitur breuiter:*

Angeli initio temporis reuera meruerunt augmentum gratiae sanctificantis , et perfectam beatitudinem supernaturalem.

**H**aec propositio multipliciter demonstratur. Nam primo : Angelos meruisse suader , quod in eisdem conditiones omnes ad meritum requisitae reperirentur , videlicet , rerum notitia , liberum arbitrium , nec non supernae gratiae adiutorium. Suader secundo : Christi Domini exemplum , qui in primo suae animationis instanti reuera promuerunt: et Angeli ergo , qui Deum facie ad faciem nondum videbant in priori momento meruere.

Ac quidem meruisse tunc sanctificantis gratiae augmentum , sicut et perfectam beatitudinem supernaturalem suader etiam primo : quod homo viator vtrumque meretur per acus ordinis supernaturalis : quidni igitur et Angeli ? Secundo : id meruit Angelus quod fuit praemium illius perseverantiae in bono : at praemium huiusmodi fuit beatitudo illa in intuitu Dei visione posita , Augustino teste , vbi ait (1) : »An-geli sancti , cadentibus aliis per liberum arbitrium steterunt ipsis »et huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt , tantam »scilicet beatitudinis plenitudinem , que eis certissimum sit , semper »se in illa mansuros«. Similiter et vbi scribit (2) : »Diabolo cum »suis cadente , in veritate steterunt , et ad securitatem perpetuam non »cadendi , in qua nunc eos esse certissimi sumus , peruenire me- »ruerunt .«

Verum beatitudinem istam non meruerunt Angeli per opera illam subsequentia , sed per ea quae eam praecesserunt. Conceptis enim ter-

mi-

(1) Lib. de Corrept. et Gratia , c. 11.

(2) Lib. de dono perseuer. cap. 7.

minis docet Augustinus , vt mox dicebamus , Angelos per suam in bono perseverantiam meruisse beatitudinem aeternam : quod ratio ipsa confirmat : nam per id meruerunt Angeli quod est in via ad terminum non per illud quod terminum sequitur. Hinc alienam quammaxime iudicamus Magistri sententiam , cui visum est , meruisse Angelos per obsequia quae Deo circa homines exhibent , prout fuere priora in diuina praecognitione ipsa adeptione beatitudinis , nempe perabsurdum est adserere , quempiam a termino ad viam peruenire ; quum e contrario via medium sit , per quod terminus comparatur.

Nec probamus etiam eorum opinionem , qui tenent , Angelos beatitudinem meruisse per gratiam , qua confirmati sunt in bono. Nam gratia illa nobis alia non est quam ipsius beatitatis adeptio ; pracci-pue quum eam adpellet Augustinus *magnam abundantiam caritatis*.

N eque est cur obilicitur nobis S. Thomas , tamquam contrariae auctor sententiae , et propugnator : etenim licet illam in IV. Sentent. tradiderit ; ab ea tamen postea recessit Prima Parte Summae Theologicae , quæst. lxi. artic. 4. in corpore.

Vt autem Angeli proficer in adepta beatitudine non possunt , ita nec ab ea excidere peccando. Quod praeter ea , quae anteactis capitibus sc̄ ipsimus , totius Ecclesias consensu confirmatur : adeo ut Fulgentius scribere fuerit iure ausus (3) : »firmissime tene et nullatenus »dubites , ideo Christum Filium Dei ad iudicandum viuos mortuos »que venturum , vi homines secundum promissionem suam aequales »Sanctis Angelis faciat , et ad eum statim perducat , in quo perfecte , »quantum vricuique Deus donat , boni sint , et ab ipsis perfectione »mutari deinceps non possit .«

Quam vero insigniter , impudenterque a Caluino et a Fabro Staphulensi in hoc sit erratum lubet hic inserere. Scribit siquidem Caluinus (4) : »in ea , quam beati Angeli Dco praestant , obedientia , non »esse tam exquisitam perfectionem , vt illi omni ex parte , et circa »veniam sat iufascent : atque huc spectare istam sententiam , et in An- »gelis suis reperit prauitatem .« Faber (5) quoque in libro iustissime ab Ecclesia confixo , peccare Angelos posse constituit , siue beatitudinis suæ iacturam peccando faciant , siue non.

Ast impudentissimi homines aduertere saltem debuissent , quam parum sibi constarent , quamque putide verbis abutebantur , dum haec

(3) Lib. de Fide ad Petrum , c. 25.

(4) In Com. in cap. 1. Epist. ad Coloss.

(5) In Lib. de Trip. Magdal.

haec scribebat. Caltinus siquidem paulo ante praemisserat: »inter Deum et Angelos nulla est defectio, nullum peccatum, ideoque nullum diuortium«. Et rursus: »quum Angeli creature sint, extra lapsus periculum non erant, nisi Christi gratia fuissent confirmati«. Quae autem conuentio horum verborum cum praecedentibus? Fabrum quoque suam ignorasse vocem iudicamus, dum ait, peccare Angelos posse, siue peccatum beatitudinis eis adferat damnum, siue non. Quis enim peccatum cum beatitudine componentes poterit? Nonne a Sapientissimo Deo positâ lex haec est, quemadmodum verissime Augustinus ait, »vt omnis inordinatus animus sibi sit poena?« Quare Iob vii. legimus: »peccavi, quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihi meti grauius?« Si peccaret ergo Angelus iam esset sibi ipse grauius, nec sine poena esset eius inordinata affectio. Sed haec dixisse sufficiat.

## CAP V T XVI.

*De malorum Angelorum lapsu sermonem instituit: eorundem primum peccatum declarat: veterum aliquorum sententiae confutantur: poemam item isdem infictam designat.*

Diabolus aliqui daemones, natura boni, voluntate sua peccarunt. Quorum primum peccatum superbia fuit.

Multiplex est malorum Angelorum poena: ad ignem vero quod spectat, perpetuus atque aeternus ille erit.

Prioris propositionis prima pars probatur ex eo, quod nec mentis ignorantia, nec cordis passio locum in Angelis habuerunt ante peccatum; siquidem siue ignorantia, siue passio, mala quedam sunt, quae naturam, in qua reperiuntur, miseram efficiunt: sed ea quae naturam efficiunt miseram, locum non habuerunt in Angelis ante peccatum, quam sub Deo iusto nemo miser sit, nisi menseatur: relinquunt igitur, voluntate sua illos peccasse. Quod Patres ynanimiter testantur; et quorum numero Augustinus unus est qui diserte scribit: »Angeli sancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem

»li-

liberum arbitrium steterunt ipsi. Etenim summa erat in Angelis arbitrii indifferentia, nihilque omnino extrinsecum fuit, quod ad malum eos determinarit.

Fuisse autem primum Angelorum peccatum superbiam, quod secunda pars propositionis exhibet, Scriptura prae primis testatur. Primo: Tobiae iv. legimus: »superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.«

Apud Isaiam cap. xiii. dicitur: »detracta est ad inferos superbia tua.« Ezechielis item xxviii.: »elevatum est cor tuum in decore tuo.« Tandem 1. ad Timoth. habetur: »ne in superbiam elatus in iudicium incidat diabolus, hoc est, in poemam, quam ob superbiam Lucifer sustinet.

Patres suffragantur etiam: Athanasius enim scribit (1): »superbia ipsum in inferiores abissi partes praecepit.« Cyrilus (2): »cecidit, inquit, tumida et turgida cogitans, et honorem, ac gloriam soli summae naturae congruentem rapere cupiens, quantum molimine, et vi, et animo poterat.« Augustinus (3): »continuo, nait, se a luce veritatis auertit superbia tumidus.« Et alibi (4): »in veritate non stetit, sed a luce sua superna, quam de Deo habebat, superbiae merito abscessus est.« Chrysostomus deum (5): »neque in diabolum, inquit, versus fuisset Angelus, nisi hoc se scire (de superbia agit) coquinasset.«

Supperit etiam ratio multiplex. Prima: superbia, Augustino teste (6), est amor inordinatus propriae excellentiae: atqui primum peccatum Angelorum aliud non fuit quam huiusmodi inordinatus amor; vt praevaricatoris verba satis ostendunt: fuit ergo peccatum superbiae. Secunda ratio: primum Angelorum peccatum amor rei cuiusdam spiritualis fuit: neque enim possunt spirituales substantiae rebus corporeis adisci; at ille amor alias esse non potuit quam superbiae peccatum; nempe in amore spirituali non peccatur, nisi quia regula contemnitur; ad quam amor ille erigi debet; seu quia amor ille creature inhaeret, quam ad Deum ultimo referri debeat: quo quidem principio innixus Augustinus de Angelis apostatis sic loquitur (7): »ab

il-

(1) In Orat. de Virg.

(2) Lib. ii. in Isaiam.

(3) Lib. xi. de Genes. cap. 23.

(4) Lib. xxxii. cont. Faust. cap. 87.

(5) Hom. xv. in Ioann.

(6) Lib. xiv. de Civit. Dei, cap. 13.

(7) Lib. xiii. de Civit. Dei, cap. 4.